

Murli. Simile fecerunt servitium eidem comiti in anno sequenti; et Gerardus de Rolandino, Faventinorum rector, ivit tunc cum militibus Faventinis.

Quando Faventini iverunt Silvam Plaulani.

CAP. CXXVII.

Sub anno Domini MCCVII Faventini sub Gerardo Rolandini eorum rectore, ad servitium comitis de Rangia [a] Silvam Plaulani iverunt. Cum autem segetes et vineas aliquot devastassent diebus, Ravennates, Livenses, Populienses, Cervienses, Bretenorienses, et Caesenates et Bonus [b], comes de Monte Feltrano et alii quamplures velocissime succurrerunt castro, amore [c] Bertuldi de Clinare [d], cuius erat, cum quo guerram habebat praefatus comes. Videntes autem Faventini castrum in brevi capi non posse, et penuria victualium maximam ibi non posse facere moram, et praesertim cum Caesenates, ad quorum fiduciam illuc iverunt, nullum, licet eis promississent, darent subsidium, proposuerunt domum revertendi occasione, viam anticipare hostium inter Montem Cavallum [e] et Meldulam. Porro Ravennates et alii supradicti, multo tempore experti quod Faventini valerent in armis, ad ipsos in vallem maximam, ubi castra fixerant, non sunt ausi descendere. Credebant autem Faventinos fame coactos et siti, ad eorum in brevi sine pactione mandatum venturos. Ut autem altera die viderunt illos viriliter occupare, montanarii id ipsum, quod Faventini deliberaverant, castellare Meldulae [f] [4] gradu occupaverunt praecipiti. Quo Faventini comperto, illuc properant velocissime. Hostibus autem visis, armantur in planitie quadam juxta praefatum castellare, uno viro tantum mediante, omnes sub propriis signis redacti. Hostes quoque, ut ad bella descendant, vocibus rogant et nutibus invitant; quibus talia surda audientibus aure, domum cum laudibus revertuntur et canticis. Praefatus denique comes post pericula multa, adiutorio et timore Faventinorum, ad honorabilem cum inimicis pacem, Deo volente, devenit.

[a] *Comitis de Rangia*. Sic Codd.; *de Rangla* scribunt Zucculus et Tondutius. — [b] *et bonus*. Ad-didi *et*; C. V. habet *Bonus*. — [c] *castro, amore*. Inter utramque voce in Codd. quaedam lacuna est, ac propterea videtur aliquid desiderari. — [d] *Bertuldi de Clinare*. Sic Cod. M.; *Brestuldi de Clinare*, sive *declinare*, C. V.; *Bretaldo di danari*, habet Zucculus. *Bertoldo conte di Linare*, Tondutius. *Bertuldi de Linare*, cum Tondutio, Ci. Mitt. — [e] *Montem Cavallum*, C. M.; *montecavallum*, C. V. — [f] *Meldulae*, C. V.; *Medulae*, C. M.

[4] Meldula, nunc oppidum, Forolivio distans septem milliariis ad meridiem.